
$B 245 853


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

CURARUM

TERTULLIANEARUM

PARTICULAE TRES.

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS KLUSSMANN.

GOTHAE MDCCCLXXXVII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI ANDREAE PERTHES.

MANIBUS

HERMANNI GENTHE

SACRUM.

Pauca antequam hunc libellulum emittam praemonenda videntur. Atque primum quidem debitae et gratiae et laudes agendae sunt viro praestantissimo Michelant, conservatori alterique moderatori librorum manuscriptorum, qui Parisiis in bibliotheca nationali adservantur, et Benedicto Braumueller, patri ordinis Benedictorum venerando Mettensi. Quorum alter non modo, dum Parisiis versor, eximia humanitate et liberalitate mihi adfuit, sed ne tum quidem deesse voluit, cum inde reversus operam eius imploravi, alter dubium et haerentem de virorum nonnullorum eidem olim, cui ipse adscriptus est, ordini addictorum vita et studiis per litteras edocuit.

Tum quod in variis libri Agobardini lectionibus adnotandis diversis typorum formis usus sum, crassiores vel, ut cum ipsis typographis loquar, pinguiores litteras adhibui, ubi aut nonnulla quae viri docti antea non animadverterant certo dispexi, aut ubi is qui codicem scripsit maiusculis litteris usus est, aut ubi scribendi ratio (*ὀρθογραφίαν* vocant) enotanda fuit. Inclinatis fere litteris expressi, quae altera quondam manus in locis evanidis refecisse videtur.

Tertia eaque copiosior curarum tertullianearum particula propediem edetur.

Haec scripseram ante hos fere quinque annos, particulis primae et secundae praefatus, quas ad summos philosophiae honores in academia Halensi rite impetrandos composueram. Accedit nunc particula tertia, ex qua cum nonnulla male correcta programmati ad inaugurandum novum gymnasium Hamburgense scripto inseruerim, ea ut boni aequique consulere et ex hoc libello emendare velint homines doctos etiam atque etiam rogatos volo.

Errata typographi.

pag. 9 not. versu ultimo lege *DONO* pro DOMO

pag. 14 versu ultimo lege *enim* pro anim

pag. 26 v. 8 lege *tragoedia* ‹thye›*steuelo* |||| *edipodis* pro steuele |||| dipodis

pag. 28 v. 6 lege quos (corr. pr. m. e *quod*) pro quo (corr. pr. m. e *quod)* |

pag. 29 v. 32 lege 15 *cremebatur* pro 12 *cremebatur*

pag. 30 v. 3 lege 21 pro 12

pag. 34 v. 24 in subscriptione lege TERTULLIANI · ADNATIONES LIB̄ · I · EXPLICIT pro LIB̄ · EXPLICIT


pag. 39 v. 21 lege 11 incest‹os ad› ulteros pro 8 incest‹os ad› ulteros ||

pag. 45 v. 17 lege *ageretur' In* duos *culleos* pro *ageretur' In cullcos* ||

pag. 47 v. 4 lege || *mortu* . . . . ($A\beta$) *praeuaricatione* pro || *mortu* . . . . *atam.*

PARTICULA I.

DE CODICE AGOBARDINO.



Sacrorum librorum antiquissimas interpretationes latinas et italam, quam dicunt, et vulgatam, his ipsis demum temporibus a viris doctis ita esse tractatas constat, ut quid inde ad accuratiorem cum universi sermonis latini tum plebeii et antiquissimi cognitionem profici posset, quaereretur. Atque summa quidem in hoc genere laus praeter ceteros Hermanno Roenschio debetur. Namque cum antea in eum campum fere descendissent, ut quid inde ad linguarum, quas dicunt, romanicarum originem et conformationem melius certiusque cognoscendam erui posset, conquirerent, ille primus, quod sciam, ipsarum litterarum latinarum progressum et historiam spectare coepit, vocabulorum quasi intermortuorum memoriam revocavit, verborum struendorum, quae tum quidem fuisset, rationem exposuit, denique viam ad aperiendos, qui ex illis libris proferri possent, thesauros patefecit. Neque satis habuit libro de Itala et Vulgata conscripto multisque commentationibus huc illuc dispersis de eadem et similibus rebus disseruisse. Ante hos enim novem annos ad Tertullianum presbyterum conversus de locis quibusdam novi testamenti ab illo in rem suam adhibitis accuratissime ita exposuit, ut de usu dicendi tertullianeo nonnulla eaque utilissima adderet.

Namque quo scribendi genere Tertullianus usus sit, parum etiam nunc exploratum est, ut quicumque ad eam rem explicandam incubuerit, satis profecto operis et laboris quidem, sed mirum etiam industriae in ea re collocatae praemium habiturus sit. Quicumque enim adhuc de ea re exposuerunt, aut oleum aut operam perdidisse dicendi sunt, ut Iosephus Schmidt, qui ante hos octo et decem annos duo de latinitate tertullianea libellos Erlangae edidit, aut rem incohatam degustaverunt, id

quod in Petrum Langen cadit, qui de nonnullarum praepositionum apud Tertullianum usu docte sane et praeclare exposuit, sed ut permulta addi et possint et debeant. Atque dolendum certe est, quod adhuc plane iacuisse videtur scriptor praeter ceteros eiusdem generis praeclarissimus, qui fervido et paene luxurianti, quo meridianae regionis homines esse solent, ingenio mirum in modum praeditus fanatico quodam furore primum quidem ethnicos, tum Montani disciplinae addictus haereticos persecutus est, idem, cum omnis esset et divini et humani iuris consultissimus, arte dialectica, immo sophistica praecellens et indefesso plurimorum et optimorum sermonis latini auctorum studio ita imbutus atque perfusus et saturatus, ut, cum summus et perfectus dicendi artifex esset, tamen plane suo et ex ipso nato sermone uti omnesque scriptores ecclesiasticos verborum, quorum uberrimus et ingeniosissimus artifex est, copia ac divitiis longe superare dicendus sit.

Quamquam est, cur viri docti a libris tertullianeis fere abstinuerint. Atque primum quidem, ut intellegas, quae scripsit, accuratissima opus est rerum sacrarum et theologicarum cognitione, ut Fridericus Ritschl, quem honoris causa appello, discipulis, ne presbyteri africani libros attingerent, dissuasisse dicatur (cf. Hauschild: die Grundsätze und Mittel der Wortbildung bei Tert. pag. 2). Tum ipsum, quo Tertullianus utitur, dicendi genus singulare et sancti Augustini quidem sententia subobscurum haud dubie multos viros doctos quo minus in eo tractando desudarent, deterruisse videtur. Denique optimum quemque ab his litteris avocasse consentaneum est, quod minime satisfaciunt, quae post longum a Nicolao Rigaltio intervallum in recensendis tertullianeis libris temptata sunt. De qua re cum pater meus in Hilgenfeldi ephemeridibus theologicis III p. 82—100, 363—393 uberrime exposuerit, verbis parcere praestabit. Hoc certum est, quamvis Mignius[1]) iam neminem non videre glorietur, quam exigua novis editoribus provincia remaneat et quam nihil sit propemodum addendum, iacere adhuc libros tertullianeos innumeris mendis et

---

[1]) Praefat. ad Tertull. opera Paris. 1866 vol. 1 pag. 10.

corruptelis inquinatos. Quamquam proxima est spes salutis. Nam Augustus Reifferscheid, cui eidem Arnobius restitutus debetur, excussis qui supersunt codicibus novam presbyteri africani editionem parare dicitur. Praeposterum igitur vereor ne dici possit, quod ego, qui nec ab ingenio nec ab arte habeam, quo me viris doctis commendem, periculum facere volui in restituendis et emendandis libris tertullianeis. At quattuor imprimis sunt libri, qui ad philologos potius quam ad theologos pertinere videntur, Apologeticum dico et libros ad nationes, de spectaculis, de pallio, quo factum esse videtur, ut Apologeticum seorsum a ceteris libris a Desiderio Heraldo, Sigismundo Haverkamp, Ignatio Ritter, libri ad nationes una cum Apologetico a Francisco Oehler, liber de pallio a Claudio Salmasio, liber de spectaculis ab Ernesto Klussmann ederentur. Ego cum denuo edendo huic vel illi libro plane imparem me esse sentirem, aliquid saltem ad restituendam unius libri integritatem conferre volui. Miserrima autem condicio librorum ad nationes est, cuius rei duplex causa esse videtur. Cum enim prior libellus in codice, qui horum quidem librorum unicus est, fere integer servatus sit, alter ita mutilatus est, ut plurima iam deesse dolendum sit, quae vereor ut unquam possint satis probabiliter restitui. Itaque ab hoc quidem libro fere abstinendum esse putavi, ne artos et angustos ingenii et doctrinae meae fines egressus esse viderer. Satis enim superque habebo, si paucula ad priorem librum emendandum contulero.

Altera causa est, quod codex, quem dixi, agobardinus nondum ita collatus et excussus est, ut certo gradu in recensendis verbis tertullianeis ingredi possis. Id quod eo magis dolendum est, quod is codex principem haud dubie locum in omnibus qui extant libris manuscriptis tertullianeis tenet. Quem quamquam complures viri docti contulerunt, multum tamen abest, ut quantum ex eo opis ad emendandos libros tertullianeos exspectari potest, excussum et ad usum communem propositum sit, ut in legendo dubius, immo indignabundus saepe haereas, quo te vertas nescius. Nam Gothofredi et Rigaltii tempora non ea erant, ut, quemadmodum aiunt, omnia cum pulvisculo excuterent, ne minima quidem neglegerent

aut praetermitterent; Oehlerus autem codicem ne vidit quidem et in Baluzii et Hildebrandi collationibus ita acquievit, ut, cum utramque aequi iuris esse iubeat, neutri confidat et in variis quas inde exscripsit lectionibus hanc illam subsequi voluerit, qua socordia ardentius novae illius codicis collationis desiderium movisse dicendus est.

Quae cum ita essent, in re agenda vix procedi posse apertum erat, nisi, quid in codice esset, ante exploraretur. Itaque Studemundi praeceptoris mei hortatu ipse anno 1880 Lutetiam Parisiorum profectus codicem agobardinum iterum diligentissime et accuratissime contuli, non totum quidem, sed, quod res ferebat, libros ad nationes.

Est ille codex bibliothecae nationalis, numero 1622 insignitus, membranaceus. Folia nunc quidem habet ducenta quattuor, reliqua iam dudum perierunt, ut ne Gothofredus quidem, qui primus inspexit, plura invenerit. Folia vicena septena centimetra et bina millimetra alta, undevicena centimetra et quina millimetra lata, paginae vicenorum binorum versuum sunt. Lineae, quibus litterae superscriptae fuerunt, iam non satis apparent, ut dinosci non possit, utrum plumbo ductae postea evanuerint, an acuto quodam instrumento incisae fuerint; manifesta tamen earum vestigia supersunt. Versus non universa paginarum spatia explent, sed ad dextram foliorum rectorum et ad sinistram foliorum versorum spatia quaternorum centimetrorum et ternorum millimetrorum vacua sunt relicta, quae spatia librarius linea transversa notavit et finivit. Extremae foliorum orae miseram labem traxerunt, situ et humore deletae et arrosae, ut extremae aut voces aut litterae evanuerint. Id quod cum aliis locis non paucis factum est, tum libri ad nationes, in his potissimum secundus, gravissimum detrimentum ceperunt. Namque est, ubi partes orarum aut devulsae sint aut situ deletae exciderint, id quod ex. gr. in fol. XXXIII factum est, cuius versus priores sic mutilati extant:

fol. XXXIII^r *istę sunt defa* ....

fol. XXXIII^u .... *as plurimas.*

Eadem labes ad fol. usque CXI serpsit, ut folia plus minus aut arrosa aut detersa aut deleta sint. Integra tamen manse-

runt fol. CXII et quae sequuntur usque ad fol. CCIV, quae omnia bene servata facillime leguntur. Ultima tamen pagina, i. e. quadringentesima octava, sive fol. CCIV[u], nonnullis locis situ laesa quidem est, sed ut legi possint quae exarata sunt.

Per varios casus et magna discrimina rerum codex, cui ab eo, cuius ab initio fuisse videtur, nomen agobardino est, eo, ubi nunc asservatur, pervenit. In prima eius pagina haec leguntur litteris quas dicunt uncialibus scripta:

LIBER OBLATUS AD ALTARE SCI STEPHANI EX UOTO AGOBARDI EPI

Fuit is Agobardus discipulus Leidradi, cui in episcopatu successit. Tenuit autem sedem episcopalem ab anno DCCCXVI ad annum usque DCCCXL[1]). Unde apparet intra eos quos dixi annos XXIV codicem e manibus Agobardi in ecclesiam et seminarium sacerdotale (Studienseminar) sancti Stephani translatum esse. Praeter hunc librum alia quaedam ab eodem Agobardo oblatio facta est, liber evangeliorum in charta pergamena litteris uncialibus nitidissime scriptus, qui liber adhuc in bibliotheca magni collegii Lugdunensis (bibliothèque du grand collège de Lyon) asservatur, hoc titulo[2]) dedicatorio insignitus: »liber Evangeliorum oblatus ad altare sci Stephani ex voto Agobardi epi; sit utenti gratia, largitori venia, fraudanti anathema.« Quodsi quaeritur, quo fere anno Agobardus hos libros ex voto obtulisse videatur, conici id quidem licet, pro certo definiri non licet. Agobardus enim, cum filiorum a patre defectionem publice et libello de ea re composito probasset, quo tempore Ludovicus Pius in gratiam cum filiis Ludovico et Carolo rediit, quippe qui acerrimus Lothari assectator fuisset, episcopatu motus et in Italiam fugere coactus est, unde, cum Ludovicus pater mox etiam cum Lotharo filio reconciliatus esset, Lugdunum rediit et in episcopatum restitutus est.[3]) Id quod inde colligitur, quod

[1]) cf. Annales Lugdunenses in Monumentis Germaniae I pag. 110 sqq.
[2]) cf. Histoire litéraire de la France. Tome IV pag. 581.
[3]) cf. Adonis Viennensis chronicon ad annum DCCCXXXIV.

synodo anno DCCCXXXVII Carisiaci habitae dignitate archiepiscopali ornatus adfuit. Illud autem exilium cum aegerrime ferret, votum aut fecisse aut nuncupasse videtur, quo se partem librorum suorum ecclesiae et seminario illi traditurum esse promitteret, si ex Italia revocatus in integrum restitutus esset. Quod si recte conieci,. oblationem librorum, de quibus dixi, intra annos DCCCXXXIV et DCCCXXXVII factam esse oportet. Quamquam mirum videri potest, quod idem episcopus, cum mentem animumque diligentissimo patrum ecclesiasticorum studio finxisset et conformasset, Tertulliani quidem, quem satis noverit necesse est, nullam in libris, quos ipse scripsit, mentionem fecit[1]), ceterorum patrum verbis et sententiis frequentissime utitur. Attamen, qua erat in his rebus cautione et circumspectione, ab haeretico cavisse sibi videtur, nisi vero propter id ipsum factum esse dicere malis, ut patrem Montanistam et haereticum in tenebras bibliothecae monasterialis quasi relegaret.

Inde ad Iacobi Gothofredi aetatem altum est de codice silentium. Oehlerus quidem se in calce alicuius editionis rigaltianae anni MDCXXXIV a docta quadam manu haec notata invenisse affirmat: »Papire Masson rencontra l'Agobardus chez un relieur, qui en voulait endosser ses livres, comme Pogius (*sic*), qui trouva le Quinctilian (*sic*) sur le comptoir d'un charcutier, pendant qu'il était au concile de Constance.«[2]) Recte; non recte tamen is qui haec scripsit intellexit ignoti scriptoris sententiam. Miratur enim, quod ille »l'Agobard«, non »l'Agobardinus« scripserit. At non de codice Tertulliani agobardino agitur, sed de ipsius Agobardi episcopi scriptis. Id quod manifeste apparet cum ex vocibus »le Quinctilian«, i. e. libros a Quinctiliano scriptos, tum ex fonte, unde sine dubio ignoti illius hominis annotatio fluxit, id est ex ipsius Papirii Massonis verbis, qui in praefatione operibus Agobardi praemissa et in epistola quidem ad ecclesiam Lugdunensem Lutetiae

---

[1]) cf. Papir. Massonis Praefationem ad Agobardi opera Parisiis 1605, quae praefatio repetita est in editione Baluzii, Parisiis 1666.

[2]) praefat. p. VI.

Parisiorum Cal. Iànuariis 1605 scripta se, cum Lugduni in vico Mercium libros quaereret et apud compactorem librorum versaretur eius rei causa, compactorque ille Agobardi codicem in membranis perscriptum veteribus notis dilaniare pararet, cultrumque ad eam carnificinam manu teneret, numerato libri pretio illi (i. e. *Agobardo*) vitam redemisse affirmat. Eiusdem Papirii Massonis frater codici librorum ab Agobardo scriptorum, qui ipse in bibliotheca regia parisina est, haec superscripsit: »haec Agobardi opera M. S. a Papirio Massone in lucem edita ad maiorem illius editionis fidem Bibliothecae Regiae dono dedi ego Ioa. Bap. Massonus Regis Elemosinarius Papirii frater XVI. Iulii anno salutis 1618. LE MASSON.« Etiam ex his, puto, apparet non Tertulliani, sed Agobardi codicem msc. a Massone tum inventum esse; nam si Papirius Masson librum tertullianeum Agobardi una cum ipsius Agobardi scriptis invenisset, ille una cum his bibliothecae parisinae traditus esset.

Id autem factum non esse prolegomena docent, quibus Iacobus Gothofredus principem librorum ad nationes editionem (Genevae MDCXXV) ornavit. »Codex hic«, ait, »hanc in urbem (i. e. Genevam) Lugduno iam pridem perlatus, e bibliotheca Tornaesiana in manus meas anno (i. e. MDCXXIV) pervenit, verum aspergine longoque situ extremis paginarum oris degustatus seu arrosus.« In his verbis male me habet, quod codex e bibliotheca tornaesiana Genevam pervenisse dicitur. Bibliotheca enim tornaesiana Lugduni Batavorum fuit, ut codex nescio quo casu primum Genevam, tum ad Batavos migrasse, inde ad lacum Lemanum redisse videatur. Nam Genevae quoque, quo codex *iam pridem* perlatus fuisse dicitur, alteram quandam tornaesianam fuisse vix probabile est. Sed utut res est, Gothofredus cum libros ad nationes ex eo edidisset, codicem agobardinum bibliothecae parisinae dono dedit.[1]) Ibi primus Stephanus Baluzius librum in usum Nicolai Rigaltii, qui tum primam editionem librorum tertullianeorum parabat,

---

[1]) extat eius rei testimonium in ipso libri agobardini operimento. in quo aureis litteris haec impressa leguntur: IACOB. GOTHOFREDUS. I. C. DOMO. PARISIENSIS. REGIAE. PARISIORUM. BIBLIOTHECAE.

quae anno MDCXXXIV prodiit, contulit, tum ipse Rigaltius, cum novis curis Tertullianum recensere instituisset.

Post hos fratres ordinis sancti Benedicti codice usi esse videntur. Quo spectat haec epistula a Petro Carpentario (Pierre Charpentier) scripta, quae primo codicis folio (duo enim priora codicis folia vacua sunt) versui agglutinata est:

> Mon Reverend Père et très cher Maître je vous prie d'avoir la bonté De remettre ce MS entre les mains de MS Boivin; et de retirer mon recipisse, je l'aurais rapporté moy meme Si j' n'etois incommodé des maux de coeur que je ressentais depuis plus de Deux moix. et quelque autre petite bagatelle m'otant l'appetit m'affaiblissoient de jour en jour. Ce qui m'ayant obligé de vous voir, le medecin il m'a contraint d'aller à l'infirmerie, ce qui me mortifie le plus, c'est que je seray privé du plaisir de vous voir. vous m'obligerez en m'anulant la reception de ce MS et me faisant savoir comment vont les choses, je suis avec respect et attachement
>
> Votre très humble et très obéissant serviteur
> P. Carpentier
> MB.

Demandez s'il vous plaît, si M' Delacroix s'est resouvenu de ce que je lui ay demandé.

Petrus Carpentarius, natus VI. ante Kal. Sept. anni MDCLXXXXVI et anno MDCCXX ordini S. Benedicti congregationis Maurinorum adscriptus quinque aut sex annis post in coenobium St. Germani prope Parisios delegatus est, ubi per quinque annos edendis libris tertullianeis operam dedit. Ordo enim novam editionem meditabatur. Deinde cum Mauro Dantinio (Dom. Maur. Dantine) in edendo glossario mediae et infimae latinitatis Du Cangii ita versatus est, ut non modo ad omnes omnium bibliothecarum libros manuscriptos et impressos aditum haberet, sed etiam ipse glossarium novum ad scriptores medii aevi cum latinos tum gallicos, seu supplementum ad auctiorem glossarii cangiani editionem quattuor voluminibus

ederet.[1]) Neque tamen consilium libros tertullianeos edendi abiecit. In qua re cum quinque imprimis ordinis Benedictinorum viri docti versarentur[2]), Carpentarius Petro Henrico (Pierre Henri) socius accessisse videtur, ad quem Henricum epistula illa, si quid video, scripta est, qua magistrum, ut librum manuscriptum Boivino praefecto bibliothecae regiae reddere velit, precatur. Ceterum consilium illud ab Henrico, quod quibus opus erat libros manuscriptos peregre expedire non potuerat, abiectum est, ut tamen post multos annos a Carpentario solo Tertullianum editum iri speraretur[3]), quam spem inanem fuisse constat.

Post patres Benedictinos codice illo usus est G. F. Hildebrand, olim scholae tremoniensis rector. Qui cum consilium libros tertullianeos edendi abiecisset, Francisco Oehler ea quae ex codicibus adnotaverat utenda permisit, qui cum collationem a Baluzio factam margini exempli editionis rigaltianae anni MDCXLI adscriptam Monachii indagasset, utriusque viri auctoritate ita usus est, ut, quemadmodum supra dixi, ubi vel diversissima traderent alterum alteri sine iudicio adiungeret, ipse codicem non inspiceret. Ego in conferendo codice rem ita institui, ut, ubi uterque testis recte rettulerat, nihil adnotarem, ubi aut alter aut uterque erraverat, corrigerem et quid in codice esset diligenter referrem.

Iam redeo ad ipsum codicem. Priora eius folia duo a librario vacua esse relicta supra dixi. Etiam priori paginae folii tertii librarius pepercit, aliae tamen manus quaedam non abstinuerunt. Haec enim atramento scripserunt:

3970

Tertullian' de exortatioē castitatis. de spe fideliū de paradiso. De uirginib' uelandis. de carne & anima.

---

[1]) cf. Ren. Prosp. Tassin: Gelehrtengeschichte der Congregation von St. Maur. Deutsche Ausgabe 1774. Tom. II pag. 368 und ff.

[2]) cf. Tassin l. l. I pag. 595.

[3]) cf. Zieglbauer: historia literaria Ordinis S. Benedicti. Tom. III pag. 208.

LIBER OBLATUS AD ALTARE SCI STEPHANI
EX UOTO AGOBARDI EPI

1622

1622

Superior numerus 3970 quid sibi velit nescio: bibliothecae alicuius numerum notare videtur. Alteri numeri bibliothecae parisinae sunt, atque maior ille quidem adscriptus esse videtur, quod minor paullulum evanuerat. De dedicatione Agobardi episcopi dixi; reliqua quo pertineant, mox apparebit.

Eiusdem folii pagina versa indicem librorum continet hunc:

HIC SUNT TERTULLIANI LIB XXIIII OR

AD NATIONES LIBER I 197 DE CARNE XPI

20 IT AD NATIONES LIBER II DE PATI

36 DE PRAESCRIPTIONE ENTIA


HERETICORUM LIBER I DE PAENI

52 DE SCORPIACE TENTIA

70 DE TESTIMONIO ANIMAE DE ANIMAE

76 DE CORONA SUMMIS

89 DE SPECTACULIS SIONE

105 De idolatria — de super
119 De censu animae — stitio
166 De oratione — ne sae
171 De cultu feminarū — culi
173 It̄ de cultu feminarū
180 Ad uxorem
184 It̄ ad uxorem — LEGE
189 De exhortatione
castitatis — IN XP̄O
De spe fidelium
De paradyso — IHV̄
De uirginib· uelandis
De carne et anima 

Ibi quae atro colore scripta sunt, ab ipsius codicis librario aliena posteriori manui debentur. Atque numeros quidem foliorum recte adscripsit, ubi singuli libri incipiant. Eadem manus singula folia inscripta numeris signavit; eadem in pagina recta ea adnotasse videtur, de quibus me iam expositurum esse supra dixi. Namque eum, qui singulis indicis titulis numeros addidit, mirum habere debuit, quod in codice non idem librorum ordo est, quem in indice invenerat. Librum enim de exhortatione castitatis is excipit, qui est de carne Christi, in quo libro fere medio (i. e. post verba *sed animae nostrae* c. X. pag. 445. 20 Oehler) codex mutilatus desinit. Quod qui factum sit, facile apparet: librarius titulum *de carne Christi* suo loco praetermissum alieno loco adscripsit. Quod cum is, qui numeros addidit, miraretur, in fronte libri turbatum ordinem notavit.

Folium quartum (i. e. foliorum inscriptorum alterum) rectum ad libros ad nationes initium habet hoc:

556

TESTIMONIUM IGNO
RANTIAE URĀE· QUAE
INIQUITATĒ DŪ DEFEN
DIT REUINCIT· INPROMTUĒ·

Quod omnes.

In angulo laevo signum bibliothecae parisinae est. Numerus supra scriptus quid significet in medio erit relinquendum. Lusi olim, numerum paginarum quot fuerant antequam codex mutilaretur indicari. Nam cum qui supersunt libri CCCCVIII paginas compleant, superessent CXXXXVIII paginae, quibus octo libri et dimidius inscriberentur. Plane anim perierunt

libri de spe fidelium, de spe paradisi, de animae submissione, de carne et anima, de superstitione saeculi; in aliis codicibus servati sunt libri de virginibus velandis, de patientia, de paenitentia et altera pars libri de carne Christi. Sed mitto rem: praestat non hariolari.

Litterarum formae, quibus librarius usus est, unciales eaeque aut grandes aut minutae sunt. Atque grandibus illis sive maiusculis utitur ubicumque rubrum colorem in scribendo adhibet, minusculis sive minutis, ubi atramentum. Neque vero in indice exarando solum maiusculis litteris usus est, sed etiam in subscriptionibus, quibus alterius libri finis, alterius exordium indicantur, et in primo aut primis singulorum librorum versibus. Exempla habes et habebis in collatione subsequente. Omnia nitidissime scripta sunt.

Duplici errore librarius non raro unius vocabuli partes distraxit, duo vocabula in unum contraxit, cuius erroris exempla collatio codicis, quam subiungo, praebebit.

Notae quibus librarius utitur maximam partem vulgares sunt. Infra plenissimum earum rerum indicem componam. Ad margines nihil usquam aut scriptum aut adnotatum est. Singuli libri continua scriptura exarantur. Interpungendi et distinguendi notae paucissimae eaeque haud raro non iis quibus oportebat locis positae. Post uncum ultimis sententiarum vocibus superscriptum, quod signum maioris cuiusdam distinctionis est, maior littera scribi solet.

Altera quaedam manus in ipso codice praeter ea, quae de primo folio inscripto supra exposui, iis tantum locis deprehenditur, ubi codicis verba aut situ aut humore evanuerant aut evanescere coeperant. Prima eius mentio apud Baluzium facta est, nulla apud Gothofredum, unde nescio an conici liceat ipsum Gothofredum mutila restituere conatum esse. Praeter hoc nulla interpolationis nec vola nec vestigium. Tertia manus in codice ipso nusquam invenitur, nisi forte ad ea recurres, quae de primo folio dixi. Est tamen, ubi librarius sua ipse errata correxerit, id quod et crassior scriptura et atramenti evanidi vetustas satis superque docent, cum altera manus tenuissimis litteris et atramento nigricante usa sit.

Librarius, qui codicem exaravit, ut ab omni fraude alienus est, ita mira oscitantia et somnulentia rem suam egit. Primum enim non raro singularum vocularum litteras aut syllabas praetermittere solet, velut: ad nat. I. 10 pag. 330. 4. in [s]trofis, 10 pag. 330. 21 fac[t]itant, 11 pag. 331. 11 [a]quae, 19 pag. 346. 2 p[o]etici. 14 pag. 335. 18 plan[t]a; ad nat. II. 3 pag. 353. 19 [p]hysicum, 9 pag. 372. 4 pi[a]culum, 10 pag. 373. 5 meritor[i]um, 12 pag. 378. 13 substri[n]gendae; de spect. 9 pag. 36. 4 Ma[r]ti; de idol. 18 pag. 98. 3 app[a]ratu; de testim. an. 2 pag. 404. 7 exor[n]as; de cor. 10 pag. 442. 2 ho[s]tiae; scorp. 1 pag. 498. 19 a[r]dor; de orat. 8 pag. 563. 8 c[l]ausula; ad ux. I. 7 pag. 679. 18 fa[s]tidis; ad ux. II. 5 pag. 691. 5 au[t] re excrutiata; de cultu fem. I. 9 pag. 712. 18 [s]altus; de exh. cast. 12 pag. 755. 8 tam [i]terum; de praescr. haer. 16. pag. 17. 8 c[e]rebri; de carne Chr. 7 pag. 440. 15 [A]pelles; de anima 25 pag. 595. 27 hice[s]ius.

Ad nat. I. 12 pag. 332. 6 antis[ti]tes; ad nat. II. 10 pag. 373. 8 ae[de] calculis; de spect. 3 pag. 23. 11 [Ae]thiopia; de idol. 15 pag. 93. 22 [ap]pellatam; de testim. an. 5 pag. 409. 22 sermo[ci]nandi; de cor. 11 pag. 442. 14 retra[ctar]e; scorp. 10 pag. 521. 6 singula[ri]tate; de orat. 17 pag. 569. 7 abys[sis]; ad ux. II. 6 pag. 692. 12 extra[nea]; de cultu fem. I. 6 pag. 708. 6 p[el]oride; de cultu fem. II. 12 pag. 732. 3 [nun]quam; de exh. cast. 5 pag. 745. 16 de mono[gam]ia; de anima 18 pag. 584. 15 suspen[den]dae.

Fit quoque, ut in commissura syllabarum aut vocabulorum singulas exaraverit aut litteras aut syllabas, cum binas deberet, velut ad nat. I. 7 pag. 318. 5 extranei[s] speculatoribus; 12 pag. 332. 12 a[t]tica; ad nat. II. 5 pag. 359. 1 anima[s] sufficere; de spect. 6 pag. 28. 11 cui [i]dolo; de idol. 10 pag. 81. 1 serviculi[s] sub, 12 pag. 86. 4 cum viribus sui[s] suppetat, 18 pag. 98. 16 poste[a] apparuit; de testim. an. 6 pag. 411. 12 maledicendo[s] spiritus; de cor. 3 pag. 421. 2 qua[s] sine ullius scripturae instrumento; scorp. 10 pag. 522. 16 terras [s]cito; ad ux. I. 3 pag. 673. 8 ma[l]le; de praescr.

haer. 12 pag. 14. 1 Qui[s] servus; de carne Chr. 2 pag. 426. 15 pa[n]nos.

Ad nat. I. 10 pag. 331. 1 Qua[re] nescio; ad. nat. II. 6 pag. 361. 8 Nam [si] sibi praestant, nihil eis debes *ex emendatione Gothofredi,* 13 pag. 384. 8 am[mi]nicula; de idol. 11 pag. 83. 2 ido[lo]latria; de testim. an. 1 pag. 399. 9 singula [ra]tionem; scorp. 6 pag. 511. 8 [de]decebit; de orat. 15 pag. 567. 5 sa[ra]baris; de exh. cast. 9 pag. 750. 20 si [se]mel, 12 pag. 753. 12 admi[ni]culorum; de carne Chr. 3 pag. 429. 6 nasceretur et carne corpora[re]tur; de anima 13 pag. 575. 20 compellat [at]que advocat, 23 pag. 591. 15 perinde [de] sublimi.

Tum vulgarem pronuntiationem secutus *m* litteram in fine vocabulorum premere solet:

ad nat. I. 10 pag. 327. 7 que[m]cumque; ad. nat. II. 9 pag. 371. 10 patrem Aenea[m], 10 pag. 330. 8 filium fulmine extinctu[m]; de idol. 9 pag. 79. 3 patientia[m] dei traxit; de cor. 7 pag. 434. 1 honore[m]; scorp. 6 pag. 510. 12 praeside[m] suggillans; ad uxor. I. 4 pag. 675. 17 sufficientia[m]; de cult. fem. II. 10 pag. 730. 6 per licentia[m]; de carn. Chr. 5 pag. 434. 11 carnem humana[m] sine dubio, ut nata[m]; de anima 31. pag. 606. 17 quiete[m].

Deinde etiam ubi nulla aperta causa errandi adesse videtur, in mediis sententiis singulas aut plures voces omittere solet; sic ad. nat. I. 10 pag. 326. 3 eorumque [aras] a senatu deiectas *vocem omissam addidit Gothofredus*, 12 pag. 332. 6 Sed et qui nos [crucis] antis[ti]tes affirmat *vocem omissam addidit Rigaltius coll. Apol. 16 pag. 177. 6:* Sed et qui nos *crucis* religiosos putat; de spect. 20 pag. 51. 12 Novam proxime defensionem suaviludii cuiusdam [audivi]; de idol. 15 pag. 94. 20 quicquid [ultra] humani honoris modum ad instar divinae sublimitatis extollitur; de cor. 12 pag. 448. 6 aliquibus aureis venditans [Christum], ut argenteis Iudas; scorp. 6 pag. 511. 5 corona premit [vulnera], palma sanguinem obscurat; de orat. 20 pag. 573. 8 eodem et spiritu, [quo Paulus]; ad ux. I. 4 pag. 675. 18 Praesume, [oro] te; ad ux. II. 3 pag. 687. 11 et [matrimonium rite contractum] allegabimus;

de cultu fem. I. 9 pag. 712. 13 vitiosa animi passio [concupiscentia] commendavit; de cultu fem. II. 5 pag. 721. 7 Erit enim eius, de cuius [doctrinis] instrui concupiscit; de exh. cast. 4 pag. 743. 15 agnoscitur [interdictum]; de carne Chr. 8 pag. 442. 11 Nam est nobis et ad illos libellus, an qui spiritum et voluntatem et virtutem Christi habuerit ad ea opera, dignum aliquid paenitentia [fecerit]; de anima 18 pag. 585. 4 cum vero [sequitur] et addicitur, 19 pag. 587. 10 Ita prima illa vox de primis sensuum [vocibus] et de primis intellectuum pulsibus cogitur.

Aliis atque permultis locis plane et manifeste apparet, cur factum sit, ut librarius integra verba Tertulliani non servaret: mira quadam et misera constantia dimidias aut universas sententias omittere solet, ubi a similibus aut syllabis aut vocabulis eius oculi aberraverant. Certum de ea re iudicium tum demum est, ubi aut alii libri MSS. servaverunt quod in alio deest, aut ubi idem locus ex alio libro tertullianeo in alium translatus est, ut alter integra, alter manca scriptoris verba exhibeat. Id quod praecipue in Apologeticum et libros ad nationes cadit, ut, cuius rei exempla in coniectaneis dabo, alter ex altero expleri possit.

De spect. 11 pag. 40. 15 [*per* duellum], *per* tubam, 10 pag. 36. 9 appell*ationem* [et administr*ationem*], (plura ex eodem libro congessit pater meus in eiusdem libelli editione pag. 2.); de idol. 16 pag. 95. 8 de flatu idololatri*ae*, [qu*ae*] intervenit, 18 pag. 98. 11 a toga [*candida*] *candidati*, 18 pag. 99. 19 in hum*ilitate* [et ignob*ilitate*]; de testim. an. 1 pag. 401. 19 per*itiae* [*tuae*], 2 pag. 402. 6 deum praedicantes hoc nomine [*unico*] *unicum*, 6 pag. 412. 1 propria cuique genti *loquela*, [sed *loquelae*] materia communis, 6 pag. 412. 3 iudicii divini invocatio *ubique*, [mors *ubique*]; de cor. 11 pag. 446. 2 ad ceteras officialium corona*rum* [causas, quibus familiarissima ista ducatio necessitatis, *cum*] idcirco aut officia fugienda sunt, 7 pag. 432. 5 [*Habes* tragoediam Cerberi,] *habes* Pindarum, 11 pag. 445. 8 Nulla est *necessitas delinquendi*, [quibus una est *necessitas non delinquendi*]; scorp. 2 pag. 502. 4 fil*ia* [*tua*], 5 pag. 507. 23 Nam et medicinae prae-

sidium [*plures* qui refugiunt], *plures*, 11 pag. 527. 1 Si aliter edixit haec, cur non *aliter eveniunt quam edixit* [id est, quemadmodum edixit? Atquin non aliter eveniunt quam edixit; ergo sicut eveniunt, ita edixit, et sicut edixit, ita eveniunt. Nam nec licuisset *aliter evenire quam edixit*], nec ipse aliter edixisset quam evenire voluisset; ad ux. I. 8 pag. 681. 22 [*Per* loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica], *per* otium a severitate deducunt, 8 pag. 681. 15 Quae a domino indulgentur, sua gratia gubern*antur*, [quae ab homine capt*antur*], studio penetrantur; ad ux. II. 5 pag. 690. 1 Latebisne tu, [*cum* lectulum,] *cum* corpusculum tuum signas, 7 pag. 693. 6 quo *minus* [sibi obstrepat, minus insidiet, *minus*] speculetur; de cultu fem. I. 5 pag. 707. 19 [*quantum* ad genus, et potioribus], *quantum* ad utensilitatem, 7 pag. 710. 1 si non *comparet* [aut ideo *comparet*]; de cultu fem. II. 9 pag. 727. 13 de van*is* [*his*] instrumentis earum, 7 pag. 723. 9 [*modo* substrictis], *modo* relaxatis, 8 pag. 725. 20 consul*ere*, [anxie inspic*ere*]; de exhort. cast. 5 pag. 744. 22 recensen*dam*. [*Nam*], 2 pag. 738. 16 [*Dominus* dedit], dominus abstulit, 9 pag. 751. 7 super praegn*antes* [et lact*antes*]; de praescr. haer. 32 pag. 29. 18 eccles*iarum* [*suarum*], 32 pag. 30. 7 *neque apostoli* [alicuius auctoris esse *neque apostolici*], 39 pag. 37. 1 ut electi manifest*entur*, [ut reprobi detega*ntur*]; de carne Chr. 6 pag. 437. 10 descend*it*, [*ut*] crucifigeretur, 4 pag. 431. 14 [*Propter eum* descendit], *propter eum* praedicavit, 4 pag. 431. 12 illum in immunditiis in utero coagu*latum*, [illum per pudenda pro*latum*], illum per ludibria nutritum; de anima 18 pag. 584. 29 nescia*mus* [*nos*] vidisse, 8 pag. 567. 16 Est adeo [*alteri* quid invisibile], *alteri* non, 8 pag. 566. 26 Sic igitur etsi *corporalia* [incorporalibus obiacent, ipsa quoque ita inter se differunt, ut differentia species eorum ampliet, non genus mutet, ut sint *corporalia*].

Deinde contraria quadam perversitate litteras aut syllabas aut voculas semel exarandas per dittographiam duplicavit, ex. gr. ad nat. I. 6 pag. 314. 20 tacitaei ignorantiae (tacitae), 7 pag. 319. 15 si quisses (quis es), 10 pag. 326. 1 non urbes solummodo (urbe), 13 pag. 335. 3 summus (sumus),

15 pag. 336. 4 comparationis satisfiat (comparationi); ad nat. II. 12 pag. 380. 5 sororis suae iungitur (sorori), 13 pag. 383. 12 manifestis suis (manifestis uis); de spect. 16 pag. 46. 4 omnis spectaculo (omni); de idol. 15 pag. 94. 17 trium fratruum (fratrum); de cor. 4 pag. 426, 1 **sit-trationis** (sit rationis); scorp. 2 pag. 502. 12 quaesivit averteret te (avertere te); de orat. 15 pag. 566. 11 non religionis sed superstitioni (religioni); ad ux. I. 4 pag. 675. 3 spiritalia affectionem (spiritali affectione); ad ux. II. 2 pag. 686. 24 affide (a fide); de cult. fem. II. 9 pag. 726. 11 current (curent); de exh. cast. 6 pag. 746. 10 quod demiserat (emiserat); de praescr. haer. 7 pag. 9. 9 et tectomarte (ectromate); de carne Chr. 6 pag. 437. 25 genus sediscebat (ediscebat); de anima 10 pag. 571. 1 morte non simplicis, sed (simplici).

Ad nat. II. 2 pag. 352. 24 gallinacium *sese*cari iubebat (secari); de idol. 1 pag. 68. 2 At enim *ad id*ololatria; de cor. 8 pag. 436. 8 *nauiganauiga*ntem; scorp. 10 pag. 522. 3 noluiss*et et*si (noluisset, si); ad. ux. I. 4 pag. 674. 12 vel*it ut* (vel ut); ad ux. II. 3 pag. 687. 15 *empti empti* et quali pretio?; de exh. cast. 5 pag. 745. 5 Alio*quin quo*niam' (Alioquin iam); de praesc. haer. 8 pag. 11. 7 i*re re*mandabat, 14 pag. 16. 2 *non non* tenent; de anima 42 pag. 623. 25 Quodsi hominis est pati mortem dissolutricem *corporis et peremptricem corporis et peremptricem* sensus, quam ineptum, ut tanta vis ad hominem non pertinere dicatur.

PARTICULA II.

LIBRI AD NATIONES EX CODICE AGOBARDINO AD MAIOREM OEHLERI EDITIONEM COLLATI.

ACCEDIT

CONSPECTUS NOTARUM A LIBRARIO ADHIBITARUM.

Fol. 1 Verba *Testimonium ignorantiae uestrae quae iniquitatem dum defendit, reuincit, in promtu est* rubro colore picta et maiusculis litteris uncialibus exarata sunt.

Pag. 305, 2 PROMTU (*Aβ*)

6 *cr*istianorum (*Aφ*)

Pag. 306, 2 dignitate

3 estimationem

5 humanator pescit

7 sin' ullum

10 iustitiae *con*scientia (*Aφ*)

13 rapiat' Inquitis noui (*Aφ*)

15 transfuge

fide || inc. fol. 1ᵘ *immo*

Pag. 306, 21 depr*ae*hensi

21 netor tiquidem

22 merent (*Aβ*) exprobant (*Aβ*)

23 male (*Aβ*)

Pag. 307, 6 conprimitis

creditis || inc. fol. 2ʳ *si*

Pag. 307, 20 credatis· (*Aφ*) Uerum

Pag. 308, 3 uultis· Aut

7 liberaretis· Sed

11 questio

caueam || inc. fol. 2ᵘ *conueniretur*

Pag. 308, 16 incre*dibia*

18 naturam' *Qu*erere

Pag. 309, 3 super gressis

5 consulendam' Iam

7/8 damnaretis' *An*commodarent

10 *cr*istianum

&

12 Haec enim (*corr. pr. man.*)

13 quodquae dam

recedatur || inc. fol. 3^{r} *Ideo*
Pag. 309, 21 nominis' Edite quod *(Aφ)*
21 nominis (*corr. pr. man. e* nomenis)
Pag. 310, 10 interpraetatur
14 nostrum' Non
15 grecum
nomina || inc. fol. 3^{u} *Sed*
Pag. 311, 3 secta' Quam
6 inpingitis' Quasi
11 personarum' Ut
17 Quanquam
etiam || inc. fol. 4^{r} *pythius*
Pag. 311, 23/4 abnuens' Cum
Pag. 312, 1 luci*iustitius*
3 cecitate
6 bonus' Cum
8 norant' Emendatos
16 christiane
reformari || inc. fol. 4^{u} *Pater*
Pag. 312, 18 quaeri
Pag. 312/313 adoramus' Abstinentiam
Pag. 313, 4 sin *(Aφ)*
9 et (*prima manus in margine addidit*) *(Aφ)*
11 (*post vocem* nubiculae *littera quaedam erasa est*)
inquitis || inc. fol. 5^{r} *fraudator*
Pag. 314, 3 christianos' Dum
8 prestantia
8 super ficie
10 dicuntur' Et
11 eius modi
13 uestri' Quando
20 tacit*aei* *(Aβ)*
similiter || inc. fol. 5^{u} *legibus*
Pag. 315, 5 macheris
9 inquitis' Tantum
9 fame

ea || inc. fol. 6r *condicio*

Pag. 315, 16 *quod* mentitur *(Aβ)*

21/22 incertus' Quia *ne sit* *(Aφ)*

26 obscurat' Ut

28 mentiendi (*corr. pr. m. e* mentiendo) *(Aφ)*

30 proverbis *(Aφ)*

Pag. 316, 4 *vocula* sub *deest*

publicus || inc. fol. 6u *nos*

Pag. 316, 8 demonstrauit' Utique

23 praesentan . . . . *di*cium*)

23 ipsi (*correxit pr. man. ex* ipse)

23 prodito*ris* *(Aφ)*

24 *verba* oro uos *dinoscere non potui, sed explent lacunam*

25 <o m n>em**)

Pag. 317, 1 <a>dquin

2 competit<atd>omesticorum

3/4 omnes' A

nullis || inc. fol. 7r *magis*

Pag. 317, 12 fame

12 super scendit

15 *is*dem *(Aφ)*

21 pa<ne>

22 depraehendit

22 lum<ine>

Pag. 318, 1 recog<nouit>

2 qu<are>

3 pro<di>tionem

redim<*it*> || inc. fol. 7u *Sed*

8 celantur *(Aφ)*

---

*) Supplendum est praesentan[*eum iu*]dicium.

**) Quibus in locis litteras aut voculas ab editoribus ad explendas lacunas adhibitas probo, restitutiones ab illis temptatas uncis inclusas lacunis superscripsi, nam nec prior nec posterior manus unquam quicquam versibus superscripsit; quaecumque postea adscripta sunt quaeque a Gothofredo in ipso codice expleta esse conieci, in ipsis lacunis addita, non superscripta sunt.

12 · eos dem
15 Diuersum opus' non est scire illos' prius fallaciae (*Aφ*)
16 Gnaris
17 umquam
Pag. 319, 2 prae<*m*>inistranda
3 nes<*ci*>at
4 tragoedia <thye> steuele //// dipodis (*una littera erasa est*)
5 <. . . . . . . mi>nistros
8 tole<rant>ia
9 proponi<mu>s

aeternam || inc. fol. 8[r] *sectatoribus*

Pag. 319, 15 qui*ss*es (*Aβ*)
16 tu*m*odo
19 pre^{s}*serit* (*correxit prima manus*)
Pag. 320, 2 possint' Si
4 ordin<*es* *den*>tium
5 ad<incesti>
6 uer<itate>
8 *Plane* tertium (*Aβ*)
8 cynopenn**ae** (*Aβ*)

desubterra || inc. fol. 8[u] *neantipodes*

Pag. 320, 10 salt*er*atio
14 e*x*ules
Pag. 321, 7 praecardia (*eadem manus correxit* praecordia) (*Aφ*)
7 refluentäe (*Aβ*) aliqua*n*diu (*Aβ*)
8 per<seuera>sse*)
9 medicamentis . . . . Quam
10 <sed ex>' Pudoris
11 interpr**ae**tantur
11 <potuit> e*ff*utere
12 sonum *tin*<ni>tumque (tin *in loco evanido scripsit manus secunda*)
13 lingua *stup*ente (stup *a manu secunda*)

---

*) Recte explevit Hildebrandus.

quia || inc. fol. 9^{r} *unicum*

Pag. 321, 15 interpraetationis *(Aβ)*

16 tamenter tii

Pag. 322, 1 alie

3 non////ulla (*una littera erasa est*)

3 quecumque

5 super stitione

7 greci

8 greciae

13 eo‹dem›

15 miremini' In

16 omn‹is›

19 christi‹anoR̸ meri› tum *(Aβ)*

20 quidm̃ . . . . Opinor

trecenti || inc. fol. 9^{u} *quante*

Pag. 322, 22 spacium supra univer sumorbem

23 orbes

Pag. 323, 2 hierennapae

3 insula' Multis

6 terre

10 super fluissent

11 Si *(Aβ)*

12 ‹te›mporum

13 iniustis‹simos› *(Aβ)*

14 ‹laedu›nt

14 eos *(Aφ)*

15 profanorum (*correxit pr. man. e* profanarum)

16 ‹uanissi›mus *(Aβ)*

19 exse‹quid› possent *(Aφ)*

20 istud' Si

supplicio || inc. fol. 10^{r} *nostro*

Pag. 324, 10 quo deas

12 quant‹a›

13 ips‹oq'›sermone

14 ‹anti›quitas

16 au‹cto›ritas

17 semp<er>
17 tant . . . . . maiorum *(Aβ)*
19 eaqu<ae pro>batis

animatur || inc. fol. 10^{u} <deoru>m
Pag. 325, 3 ostendam' Nisi
9 quo (*corr. pr. m. e* quod)
15 <p>rùdentissimi
17 <M>entior' Si numquam
18 <bell>o *) nouisset *(Aφ)*
20 <M Aemil>io
21 con<tumelio>sissimum *(Aφ)*
22 <loca>re *(Aβ)*
23 se<natus>
24 certi liberum <patr>em
24 socru sua' *(Aφ)* Consules
Pag. 326, 1 urbesso<lumm>odo
isydem || inc. fol. 11^{r} *et arpocraten*
Pag. 326, 6 caetu
9 que
10 rei esse lesae
11 super stitionis
17 solacio *(Aβ)*
18 quo publice *(Aφ)*
20 subdu . . . tis **)
21 conducitur . . . . . . eadem (*praepositio* sub *deest*) ***)
23 questoris
25 poene
maiest<as> || inc. fol. 11^{u} prostituitur ****)
8 etiammor tuis
10 eis demtitulis super scribitis

---

*) Cf. C. I. L. I, 541.

**) Expleo: subdu <xis> tis.

***) Nisi forte latet in lacuna: cf. Apol. 13 pag. 165, 1: Sic Capitolium, sic olitorium forum petitur, *sub* eadem voce praeconis, *sub* eadem hasta, *sub* eadem adnotatione quaestoris diuinitas addicta conducitur.

****) Sic, non *constituitur*.

Pag. 327, 14 <N>ihil
15 ceditis
16 mor<tuo>s
17 apparatus' Ut
18 lectister*nia* . . . . . *ie* (nia *et* ie *a manu secunda**)
20 <contu>melia
20 decuerit (*corr. pr. m. e* docuerit)
Pag. 327/8 contemplaret . . . . lus
ipse || inc. fol. 12r *quam ei*
Pag. 328, 6 cesarem
10 gtam (*Aφ*)
17 quae uulgi (*corr. pr. m. e* uulgae)
19 gra<ui>tas
22 exordia<r . . . .>uestro
Pag. 329, 1 ad*iu*<dica>tis
2 derogastis' Magnificando
2 lusit . . . . adhuc (*Aβ*)
maiestat<em> || inc. fol. 12u <h>*umana*
Pag. 329, 6 sauci at
7 pene
8 traducit' Aut
18 penituerit (*Aβ*) <A>thenienses
19 resti<tui>*tur*
deceant et enuntiantem. At paullo post (p. 310. 14) vocabulum Christianum quattuor nominibus innoxium esse praedicat: non incommodum esse linguae (i. e. barbarum), non auribus asperum (i. e. non inpudicum), non homini malum, non patriae infestum (i. e. infaustum). Vides priore loco deesse quod vocibus *non homini malum* respondeat; suppeditat quae desiderantur verba locus geminus Apol. 3 p. 125. 1: *quae accusatio vocabulorum, nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis aut infaustum aut maledicum aut inpudicum?* Unde explendum erit: *nisi cum quid aut barbarum sonat aut infaustum sapit* **[vel maledicum] vel** *inpudicum* etc.

Cap. 4 p. 310. 18 legitur in cod.: *Primo quidem sectam de auctoris appellatione mutari utique probum usitatumque ius est etc.* Respondent huic loco verba quae sunt in Apol. 3 p. 125. 8: *Quid novi, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit?* Sententia plana est, sed sectam *mutari* cum ferri non posse intelligerent, Rigaltius *notari*, Barthius *nominari* emendandum censuerunt, quod utrumque a verbis Apol. et a codicis lectione longius abest. Proximum haut dubie erit **mutuari**[1]). Ipsum mutuandi verbum saepius apud Tertullianum quidem, sed nisi generis deponentis, non usurpatur, tamen ut participium perfecti etiam passiva vi sit: de spect. 5 p. 25. 14: *artifices mutuantur;* de idol. 23 p. 105. 1: *pecuniam de ethnicis mutuantes;* Apol. 21 p. 199. 5: *etsi plures inde traduces qualitatis mutueris,* 45 p. 279. 2: *leges de divina lege mutuatas;* de bapt. 4 p. 622. 24: *sanctitatem mutuabatur;* ad ux. I. 3 p. 671. 21: *feminam de masculo mutuatus;* de cultu fem. II. 5 p. 721. 3: *nihil mutuantur;* de exh. cast. 5 p. 744. 23: *unam de costis eius mutuatus;* de praescr. haer. 20 p. 19. 4: *traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et cotidie mutuantur;* adv. Marc. III. 7 p. 130. 7: *a quo ducatum mutuatus* et 8 p. 132. 1: *mutuari venenum,* V.* 7 p.

---

[1]) Non aliter utraque vox *mutuandi* et *mutandi* confunditur adv. Marc. III. 8 p. 132. 1 in codd. A. B.

295. 17: *alius deus ab alio mutuatur exempla;* adv. Val. 10 p. 394. 14: *a quibus formam mutuaretur* (codd. *forma*); de carne Chr. 6 p. 436. 16: *mutuatus est carnem* et p. 437. 1: *fides instrumentum mutuetur;* de an. 23 p. 592. 10: *a Platone quae haeretici mutuantur.* Ceterum de constructione cf. Gronovium ad Justin. IX. 1. 5. Illis exemplis nixus olim obiectum, quod deesse videbatur, addendum esse putaveram (sive *nomen* sive *vocabulum*). Meliora docuit locus qui est ad Nat. II. 4 p. 356. 16: *verisimilius est non a cursu et motu θεοὺς dictos, sed de appellatione dei veri mutuatum,* quo loco id de quo agitur verbum absolute, ut dicere solent, positum est. Idem hoc loco factum esse videtur (= dass sie eine Anleihe machen vom Namen ihres Stifters).

Verba cap. 5 p. 313. 16: *quaerite sectam cui malitiae deputatur* [1]) uti nunc leguntur in codice, violare usum dicendi Tertullianeum primus intellexit Gothofredus, cum suaderet in adnott. p. 79: *γρ. malitia vel deputantur,* non persuasit autem Oehlero. Revocat hic quidem ad adnotationes, quas scripsit ad cap. 4 libri de idol., et illic nonnullis e sescentis locis exemplis allatis apud Tertullianum verbum deputandi varie construi docet, ita tamen, ut verba quae supra exscripsi ne ad unam quidem variarum quas attulit structurarum referri possint. At certe ad eum pertinent usum, qui apud Tertullianum frequentissimus est, ut verbum illud fere idem significet, quod tribuendi, et, ubicunque activum est, cum dativo et accusativo, itaque, ubicunque passivum, cum nominativo et dativo coniungatur. Atque leguntur formae generis activi his locis: Apol. 25 p. 223. 9: *fastigium meritis;* ad Nat. I. 2 p. 308. 1: *quos atrocioribus ac pluribus criminibus;* de testim. an. 3 p. 405. 5: *quam daemoniis;* de or. 5 p. 560. 4: *illi quod ab illo exspectamus;* de virg. vel. 6 p. 891. 21: *sexui illud,* adv. Marc. I. 15 p. 64. 19: *malum materiae,* 16 p. 65. 2: *cui auctori invisibilia;* III. 20 p. 150. 3:

---

[1]) De indicativo, qui in his sententiis apud Tertullianum plurimus est cf. ex. gr. ad Nat. I. 7 p. 317. 5, 10 p. 326. 9; de pat. 6 p. 598. 16; de pud. 5 p. 799. 3.

(ventrem) virginis viro — eum ventrem patri, 24 p. 156. 11: *alicui utique caelesti civitati eum*; IV. 39 p. 265. 11: *promissiones vero deo optimo*, 26: *mala imminentia ei*, 29: *mala quoque ei*; V. 3 p. 282. 8: *credentes iustitiae*, 13 p. 313. 4: *et evangelium et salutem iusto deo, non bono*, 18 p. 329. 30: *quae diabolo*, 20 p. 334. 26: *haec sibi*; adv. Val. 34 p. 419. 2: *nullum Bytho sexum*; de resurr. carn. 40 p. 517. 25: *ipsum interiorem hominem carni*, 52 p: 536. 32: *unicuique—corpus*; de an. 4 p. 561. 18: *initium ei*, 52 p. 638. 13: *ordinariam (formam) naturae*, 57 p. 646. 20: *quas incursibus*. — Generis passivi est saepissime: de spect. 4 p. 25. 3: *quibus auctoribus (artes)*, 9 p. 34. 8: *Castori et Polluci haec species*, 12 p. 41. 13: *quod ergo mortuis litabatur, utique parentationi*; Apol. 41 p. 272. 13: *si quid adversi infligitur, vestris meritis*; ad Nat. I. 12 p. 333. 16: *cui quod de traduce provenit?* II. 7 p. 362. 10: *quod poetis*; de test. an. 4 p. 406. 8: *ea opinio—soli vanitati et stupori et, ut dicitur, praesumptioni*; de fuga in pers. 1 p. 463. 18: *diabolo eam*; Scorp. 5 p. 507. 18: *vita martyrio, quantum morti idololatria*; de orat. 15 p. 566. 11: *huiusmodi non religioni sed superstitioni*; de ieiun. adv. psych. 10 p. 866. 7: *Petro ea ratio*, 17 p. 878. 12: *duplex—honor binis partibus*; de praescr. haer. 21 p. 19. 22: *omnem doctrinam—veritati*; adv. Marc. I. 16 p. 65. 5: *diversitatem hanc—creatori*, 16: *(invisibilia) non alteri auctori*; II. 14 p. 101. 24: *illa pars malitiae*, 29: *(ea) malitiae*; III. 13 p. 139. 26 et adv. Iud. 9 p. 722. 18: *Damascus Arabiae*; IV. 3 p. 164. 2: *(id) Lucae*, 10 p. 178. 24: *vir matri—cui vir*, 15 p. 193. 14: *creatori maledictio*, 41 p. 268. 29: *inclamationem et irato et offenso*; V. 4 p. 285. 14: *circumcisio et praeputatio uni deo*, 17 p. 324. 23: *inferiora ipsi*; adv. Hermog. 11 p. 349. 21: *quae malo*; adv. Val. 30 p. 414. 4: *amoribus Theleti et utique abortui*, 32 p. 418. 3: *angelis*; de resurr. carn. 16 p. 488. 7: *quod non animae*, 46 p. 527, 9: *sensum carni*, 50 p. 534. 10: *ille vetustati*; de an. 9 p. 569. 16: *effigiem — non aliam animae humanae*, 16 p. 578. 17: *naturae utrumque*, 18 p. 584. 3: *accessioni quod—adspirarit*, 37 p. 618. 3:

illi—status, 51 p. 638. 7: *signis et ostentis*; adv. Jud. 10 p. 730. 15: *alii—passionem*.

Inde sequitur, Gothofredum usum quidem dicendi Tertullianeum servasse, verumtamen ipsa patris verba restituisse non dicendus est. Refutat enim Tertullianus cap. 5 adversarios pessimos esse Christianos clamantes, quod inveniantur in iis, qui avaritia, luxuria, improbitate infames sint. Nec enim ullum corpus vacuum esse ait maculis aut naevis et ›maiorem boni portionem modico malo ad testimonium sui uti‹. Itaque etiamsi aliquos Christianos malos esse probari possit, inde omnes malos esse non probari. Ipsa autem sententia, qua nihil humanum a vitiis alienum esse adversariis opponit, tum demum recte procedit, si sectam quaerere iubentur, cui nihil crimini dandum sit, et flagitat, ut emendetur: *cui malitiae* **nihil** *deputatur*.

Cap. 6 p. 314. 25 legibus crimina omnia praeter crimen nominis Christiani ita coerceri et puniri exponit, ut, nisi prius requiratur, poena cesset. Pergitur in codice sic: *Verbi gratia homicidam, adulterum lege* • *discutitur tamen de ordine admissi*. Ubi quod *lege* imperativum et pro *elige* esse statuunt, et usum dicendi Tertullianeum neglegunt et sententiam scriptoris corrumpunt; homicidii enim et adulterii crimina fere Christianis obici Tertullianus queritur, ut haec quidem ab adversariis eligi iubere vetetur. Praeterea de legibus agitur, idque tam acriter et acerbe, ut per decem versus continuos hoc ipsum vocabulum, in quo cardo rei versatur, decies repetatur. Quid? In his mediis imperativum *lege* inseri? At accusativi illi non habent, quo referantur; sequitur, ut nonnulla deesse statuatur in hanc fere sententiam: lege quidem persequendos esse homicidam et adulterum, non puniendos, antequam legitime inquiratur de ordine admissi, in Christianos autem non inquiri de admisso, homicidane sit et adulter an non, sed animadverti, simulatque nomen Christianum confessi sint. Periclitor: *Verbi gratia homicidam, adulterum* [**leges** *conveniunt, poena edicta est*] **lege**, *discutitur tamen de ordine admissi etc.*

Cap. 7 p. 315. 21: *Nemo famam nominat, nisi incertus quia nemo* (ita recte Gothofredus, cod. in fine versus, tamen

ut nihil aut evanuisse aut abruptum esse appareat, *quiane) sit fama sed conscientia certus.* Unde coniunctivus in re manifesta et vulgo nota? Levissima mutatione corrigo: **fit**[1]) *fama etc.*

Ex Apologetico locus qui est cap. 7 p. 315. 25 sanari potest. Ibi enim in codice scriptum est: *(Fama) exinde in traduces quodammodo linguarum et aurium serpit et modicum originum vitium rumoris obscurat*, in Apol. 7 p. 139. 8: *Exinde in traduces linguarum et aurium serpit et ita modici seminis vitium cetera rumoris obscurat.* Debebit in loco priore scribi: **cetera rumoris**, atque ita fere solet Tertullianus, ex gr. de spect. 1 p. 17. 2: *cetera saecularium errorum*; de idol. 11 p. 82. 20: *cetera delictorum*; Apol. 18 p. 186. 2: *cetera memoriarum*; ad. Nat. II. 8 p. 368. 4: *cetera memoriarum et remunerationum*; ad ux. I. 3 p. 671. 20: *cetera perversitatum suarum*; de cultu fem. II. 9 p. 726. 10: *cetera corporis*; de pud. 17 p. 831. 12: *cetera carnis*; de virg. vel. 1 p. 884. 4: *cetera iam disciplinae et conversationis*; adv. Marc. V. 19 p. 333. 3: *cetera praeceptorum*, 19 p. 331. 25: *reliqua pressurarum*; ad. Nat. I. 10 p. 324. 8: *omnia vitae ac disciplinae,* 18 p. 343. 8: *reliquum obstinationis*, 19 p. 345. 4: *horrenda obstinationum*; de or. 22 p. 576. 13: *totum virginis,* 29 p. 583. 15: *imbrium utilia*; de pud. 15 p. 825. 7: *occulta dedecoris*; de an. 19 p. 585. 29: *modico temporis*, 51 p. 637. 7 et 13: *superfluo animae*, 55 p. 642. 9: *sublimiora caelorum*, 10: *inferiora terrarum etc.*

De infante ad epulas apportando agitur cap. 7. pag. 318. 9, ubi is qui se Christianorum sacris initiari vult, magistrum sacrorum vel patrem adire solere dicitur. Pergitur: *Tum ille dicet: Infans tibi, qui adhuc vagetur, necessarius, qui immoletur.* Vocabulum *vagetur* cum interpretes non ferendum esse intellexissent (nam infans nondum nititur aut pedem

---

[1]) Similem librarii lapsum sustulerunt Rigaltius ad Nat. II. 2 p. 352. 12 (cod. *fide* pro *sede*) et Oehlerus II. 17 p. 394. 16 coll. Apol. 25 p. 222. 16 (cod. *satis* pro *fatis*).

ponit, nedum vagetur, sed portatur), Leopoldus *vagit,* Gothofredus *vagietur,* Oehlerus *ad hoc vadetur* suaserunt. Sed *vagit* non modo a codicis lectione longe abest, verum etiam propter indicativum incongruum videtur, quamvis etiam Apol. 7. p. 137. 12, *vagiens infans* in eadem re usurpetur; *vagietur* temere confictum est; *ad hoc vadetur* causam, cur infans apportetur, addit plane incongruam, cum afferri, ut immoletur, aperte dicatur. Necesse sane est ut, qualis infans apportandus sit ad immolandum, exponatur. Respondet huic loco alter qui est Apol. 8 p. 142. 4: *infans tibi necessarius* **adhuc tener,** *qui nesciat mortem, qui sub cultro tuo rideat*; itaque propono: **qui adhuc baiuletur.** Non nescio proprie baiulum *ἀχθοφόρον* esse, qui vecturas onerum corpore suo factitet (cf. Gellius V. 3. 1 et ad ux. I. 4 p. 675. 16: *Germanicos baiulos*); sed imperatorum tempore etiam tabellarii, qui litteras perferunt, eodem nomine signantur, de qua re conferendi sunt Ammian. XV. 5, 10, XXVIII. 1. 33, Symmach. epist. V. 7. Quid? quod apud Italos, qui nunc sunt, *balia* (apud Mediolanenses *baila*) ipsa infantium nutrix dicitur. Fanfani quidem (vocab. ital.) »balia« interpretatur, »colei, che allatta gli altrui figliuoli«. Verbum *baiulare* apud Tertullianum est de bapt. 19 pag. 639. 9; de cult. fem. I. 9 pag. 713. 4; de virg. vel. 1 pag. 884. 12; de pall. 5 p. 947. 4; adv. Marc. III. 18 pag. 146. 10 et, qui locus inde translatus est, adv. Jud. 10 pag. 728. 1. In his ut fere de onere quodam ferendo sermo est, ita de bapt. 19 levissimum sane onus est, quod fertur, agnus, quemadmodum eo de quo agitur loco, infans. Substantivum *baiulus* legitur de pat. 12 p. 609. 2, de cultu fem. II. 13 p. 734. 9; feminas autem infantium custodes aliis locis aut *infantarias* (ad Nat. I. 2 p. 308. 12) aut *gerulas* (de an. 19 p. 587. 15, 46 p. 631. 2; adv. Marc. III. 13 p. 138. 10 et adv. Jud. 9 p. 721. 16) dicit.

Postquam foedissima, quae quidem in vulgi sermonibus ferrentur Christianorum sacra celari non posse exposuit, ut, si quae rumoribus vulgarentur, eorum nihildum pro certo probatum esse mirum videatur, interpellantes facit adversarios

cap. 7. p. 318. 15: *Diversum opus· non est scire illos' prius fallaciae negotium perpetratur' ignaris* (cod. *Gnaris*) *et dapes et nuptiae subiciuntur· nihil enim umquam de mysteriis Christianorum audierant.* Ita codex recte distinxit, ut ipsa rerum expositio docet, Oehlerus male: *Diversum opus non est scire illos* etc. Fieri non posse Tertullianus dixerat, ut secreta quaedam Christianorum sacra evulgarentur; nihil enim secreti aut illiciti in illis inesse: antequam enim quis illis sacris initiaretur, edocendum esse, qualia sacra ista essent; quae si essent foedissima et ipsa naturae repugnantia, quemadmodum ferrentur, necesse esse illi deterrerentur et in vulgus publicarent quae audissent. *Haec*, pergit, *oro vos, denuntiata ab aliis* (i. e. quae ab ipsis sacrorum sodalibus cum iis qui initiari volunt communicantur) *prodi sustinent?* (i. e. cessant.) Quibus auditis adversarios facit ad aliam quandam coniecturam confugientes: diversam esse rationem agendi apud Christianos obiciunt *(diversum opus)*; non enim, ut ipsius Tertulliani verbis (p. 318. 7) utar, ii qui se initiari voluerant, statim audiverunt, cum magistrum sacrorum aditum petentes adierunt, neque secreta ista demonstrata sunt antequam admitterentur, sed interim (i. e. cum admitterentur) celata, postea, cum recepti essent, reperta sunt *(non est scire illos; prius fallaciae negotium perpetratur* etc.). Ceterum de locutione *est scire* cf. Oehl. ad libr. ad Nat. II. 3 p. 354. 8 eiusque indicem; adde Apol. 41 p. 271. 10; de or. 25 p. 581. 1; de cultu fem. II. 9 p. 726. 12; adv. Marc. IV. 7 p. 169. 21; adv. Val. 1 p. 383. 1, 17 p. 404. 14; de resurr. carn. 16 p. 487. 14, 61 p. 549. 12; de an. 36 p. 617. 6, 46 p. 629. 9, 47 p. 633. 1, 51 p. 637. 4.

Tertullianus respondet: *Tamen postea cognoscant necesse est, vel aliis, quos inducunt, praeministranda. Ceterum quam vanum est profanos scire quod nesciat sacerdos? Tacent igitur et accepto ferunt, et nihil tragoedia [Thye]ste vel Oedipodis· erumpunt et non protrahunt ad populum.* Altera sententia ad priora redit: at cognita esse oportere; altera vana praesumi monet, cum aliis nota esse non possint, quae ipsos sacerdotes Christianos fugiant. Sed fac, pergit, cognita esse;

sequitur, ut, si nihil inde in publicum emanat, taceant ii, qui modo recepti sunt de horrendis rebus et acquiescant in iis quae viderant. Quae sequuntur, scripsi, uti in codice distincta leguntur; quae cum non intelligerent interpretes, omnes: *et nihil tragoediae Thyestae vel Oedipodis erumpunt et non protrahunt ad populum* cum Gothofredo scribi maluerunt. At *erumpere* apud Tertullianum non dicuntur nisi qui, cum aliquamdiu latuissent et rem gerere dubitassent, iam ad agendum progrediuntur, ut Apol. 27 p. 228. 1: *servi*; ad Nat. I. 17 p. 342. 8: *coniuratio* (i. e. *coniurati*); Scorp. 10 p. 524. 11: *persecutio* (i. e. *persecutores*); praeterea tragoediae i. e. epulae Thyesteae et incestus Oedipodeus non agunt, sed aguntur. Accedit, quod, etiamsi tragoedias istas nihil erumpere pro »non divulgari in publicum« dici posse statuas, sequitur: *et non protrahunt ad populum.* Quid? tragoediaene se ipsae protrahunt? Recte omnia procedunt, modo cum codice recte distinguas et interpreteris: nihil curant istam tragoediam, sed erumpunt e conciliis Christianorum, nihil tamen cum populo communicant. Cave vero ne *nihili* corrigendum esse opineris; est enim de spect. 10 p. 39. 5: *scimus nihil esse nomina mortuorum*; de idol. 21 p. 103. 32: *quem (Jovem) scis nihil esse*; ad Nat. I. 10 p. 328. 3: *consentiunt nihil esse quod deierant* etc.

Cap. 8 p. 322. 9: *ubi saltem Aegyptii, et ipsi, quod sciam, privati curiosaeque religionis.* Sic codex, cui primum quidem Gothofredus aurem praebuit, deinde *privatae* maluit et Rigaltio et Oehlero persuasit. Nescio quo iure: vocabulum enim ita usurpari apud Tertullianum solet, ut privum aliquod et peculiare et quod a communi usu remotum sit et a multitudine eximatur significet; velut de spect. 10 pag. 38. 13: *quae privata et propria sunt scaenae*, 17 p. 47. 16: *(theatrum) est privatum consistorium impudicitiae*; ad Nat. I. 16 p. 338. 19: *si qua (gens) ab humana condicione privata quadam* (ita scribendum pro *quedam,* quod in cod. est) *natura remota est*; de paen. 2 p. 647. 6: *paenitentiam invadit, delinquentium privatum*; de an. 8 p. 566. 22: *proprietatum privata discrimina,* 54 p. 641. 25: *privatum aerem (inferorum).* Quid? de anima 2 p. 558. 17

scriptum est: *formas rebus imponit, eas nunc peraequat, nunc privat*, ubi recte Rigaltius interpretatur »privas et proprias adsignat.« Quae cum ita sint, quidni Tertullianus Aegyptios homines non solum propter religiosissimum animalium cultum (ad Nat. II. 8 p. 366. 7), sed etiam per se miros dixerit, quales ab antiquis hominibus fere habebantur? Cf. Herod. II. 35. Juvenal. Sat. XV.

Cap. 9 p. 323. 21 imbecillos deos ethnicos esse oportere dicit, qui homines iniurias ipsis illatas ulcisci patiantur, immo iubeant; quippe eos per se ipsos nihil efficere posse inde manifestum esse. *Abaliud a maiore defenditur*, pergit. *Pudeat igitur deos ab homine defendi.* Sic codex, Gothofredus, Rigaltius, Leopoldus; sed *abaliud* vocabulum nisi hoc loco non inveniri et nihili esse viri docti nuper in Woelfflini archivo II. 108 demonstraverunt, ut Oehlerus vitii a librario commissi memor quid vocabulo illi nequam subsit recte coniecisse et *si ab alio aliud* substituisse videatur; neque tamen erat, quod particulam hypotheticam adderet. Verum enim vero altera sententiae pars claudicat: namque alterum *aliud* ab altero dirimi non licebat, ut ad alteram sententiae partem subaudiretur sc. *a maiore aliud defenditur*. Quae cum ita sint, locum sic expleo: *a maiore* **[minus]** *defenditur*; cui coniecturae patrocinantur verba quae sequuntur: *Pudeat* **igitur** *deos ab homine defendi.*

Cap. 13 p. 334. 9: *Alii plane humanius solem Christianum deum aestimant.* Eadem fere verba sunt in Apol. 16 p. 180. 2: *Alii plane humanius et verisimilius solem credunt deum nostrum.* Utroque loco inde suspicionem motam esse additur, quod Christiani ad orientem conversi precarentur et die solis laetitiae indulgerent. Quae causa non magis humana quam probabilis est; itaque eo loco qui est ad Nationes, ne illud ipsum desit quo argumenta apposita spectant, scribendum esse puto: **humanius [et verisimilius]** *solem* etc.

Cap. 15 p. 336. 9, postquam, etsi in sacris Christianis infanticidio litari et initiari concedatur, id quod concedendum non sit, ethnicos eodem crimine teneri docuit, ut non habeant quod Christianos accusent, pergitur: *nam etsi nos* (cod. *non*)

aliter, tamen non aliter vos quoque infanticidae, qui infantes editos (cod. *aeditos*) *enecantes legibus quidem prohibemini, sed nullae magis* <leg>*es tam impune, tam secure sub omnium conscientia unius ae* . . . . . *tabellis eluduntur.* Lacunam quinque litterarum Gothofredus expleri iubet: *aetatis,* nec vero aut ipse in continua scriptoris verba recepit nec Rigaltio persuasit, interpretatus autem ita est, ut leges totius aetatis seu saeculi tabellis, quibus in suffragiis ferendis usi essent, abrogarentur: at hoc non est *eludere.* Nihilo minus Oehlerus eidem coniecturae suffragatur, ut verbis *unius aetatis* eandem unam aetatem, qua Tertullianus fuerit, significari interpretetur. Quod quid sibi velit, non intellego. Certe tabellae eae sunt, quibus mortuorum nomina recensebantur, et in lacuna latere oportet eorum hominum significationem, quibus cura tabellarum mandata erat. Quod cum mihi persuasissem, *aedilis* emendandum hariolanti H. Goellius, quem per litteras adii, ita mihi adstipulatus est, ut emendandi loci optimam praeiret rationem: tabellas enim illas apud Romanos in usu fuisse probari loco chronici Eusebiani sub Vespasiano, ubi *ephemerides* dicantur, earumque curam pertinuisse ad munus *aedituorum.* Jam cum in legibus Servianis fuisse tradatur (L. Pisonis Annal. libr. I apud Dionys. Halic. A. R. IV. 15), ut, si quis aut natus aut mortuus aut toga libera ornatus esset, certa quadam pecunia ad thesaurum Libitinae solveretur, et apud Suetonium (Nero c. 39) uno autumno triginta funerum milia in rationem Libitinae venisse narretur, de earum rationum tabellis hoc loco agi consentaneum est; easque rationes aedituus aut confecisse aut servasse aut et confecisse et servasse videtur. Confidenter igitur expleo: *unius ae*<*ditui*> *tabellis eluduntur.* Suspensis autem naribus scriptor publicas Romanorum leges unius levissimi homunculi, quales[1])

---

[1]) Adeo officii neglegentes esse dicuntur, ut non raro in eorum tabernaculis foedissimae libidines exerceri potuerint (Apol. 15 p. 174. 6) et inspectio templi clam pecunia ab iis redempta sit (de an. 28 p. 602. 24).

aedituos esse putat, tabellis eludi et quasi ludibrio haberi cavillatur.

Cap. 16 p. 338. 24: *‹Inp›rimis cum infantes vestros alienae misericordiae exponitis aut in adoptio‹nem› melioribus parentibus, obliviscimini, quanta materia subministratur, quanta occasio casibus aperitur?* Quis unquam liberos exposuit, ut adoptarentur? Recte in Apol. 9 p. 151. 3: *Imprimis filios exponitis suscipiendos ab aliqua praetereunte misericordia extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis.* Itaque illo loco sine dubio restituendum est: *aut in adoptionem melioribus parentibus* **emancipatis.**

Cap. 19 p. 346. 2, cum extremo dei iudicio iniquos aeterno igni uri, insontes amoeno in loco perpetuitatem transacturos esse dixisset: *apud vos .... ue Pyriflegetontis et Elysii non alias indicio disponitur* pergit. Haec quidem in codice apparent, quae Gothofredus *apud vos locus quoque* explere voluit, quem bene fecit quod non secutus est Rigaltius; non enim locus Pyriphlegethontis et Elysii, sed id disponitur, uter locus cui obtingat. Itaque a lacuna explenda abstinuit ille quidem, sed in ultimis verbis *non alia conditio* emendavisse sibi visus est. Cui ita adstipulatur Oehlerus, ut legi iubeat *non alias condicio*, lacunam autem falso Hildebrandi testimonio confisus non explevit. In qua re cum cardo rei versari videatur, ita conicio: *apud vos* ‹**sors quoq**›*ue Pyriphlegethontis et Elysii non alias iudicio disponitur*, videlicet Minois et Rhadamanthi (p. 345. 16), quemadmodum apud Christianos dei. Hoc dicit: ut apud nos iudicio extremo aut gehenna aut paradisus (cf. loc. gemellum Apol. 47 p. 290. 5 sqq.), sic apud vos etiam Pyriphlegethon aut Elysium iudicio habito mortuorum animis obtingunt. *Sors* Pyriphlegethontis est Pyriphlegethon quasi sorte datus: cf. Apol. 22 p. 209. 5: *temporum sortes;* ad Nat. II. 17 p. 396. 15: *sors temporum;* de an. 11 p. 573. 30: *ex substantiae suae sorte.* Coniecturae patrocinantur verba subsequentia: *Nec mythici ac poetici soli talia canunt, sed et philosophi de animarum reciprocatione* (sic Gothofredus, cod. *recipi provocatione*) *et iudicii distributione confirmant.*

II. cap. 3 p. 355. 2: *proposuit Varro et qui Varro in-indicaver̃ animalia esse caelum et astra.* Ita codex; Gothofredus et Rigaltius: *indicaverat*, Oehlerus: *ut qui*, quod equidem non intelligo. Hauckius (Tertullians Leben und Schriften p. 66) tentavit: *Atqui Varro indicaverat* vel *indicavit*, immemor lectionis et notarum codicis (cf. p. 51.) Facili nisi fallor negotio restitues: *et qui Varro*[**ni**] **in***dicaverunt*; quippe antiquos philosophos dicit, a quibus Varronem sua hausisse sciebat; respicere enim videtur ad propositionem libri cap. 1 p. 350. 9: *Elegi ad conpendium Varronis opera, qui rerum divinarum* **ex omnibus retro digestis commentatus** *idoneum se nobis scopum exposuit.* Similes sunt loci de spect. 5 p. 28. 6: *positum est apud Suetonium Tranquillum vel a quibus Tranquillus accepit* et ad Nat. II. 13 p. 383. 14: *ut Varro et qui cum eo somniaverunt.*

In eodem capite p. 355. 11 verba in codice deleta: *q̄m* . . . . *uentur* quod adhuc male expleta sunt, mirum admodum mihi videtur: nam qui sequuntur versus causam, quamobrem Varro elementa animalia dixerit, ita repetunt, ut pro certa medicina esse possint. Exhibet enim v. 13: *ultro praevenit dicens eo animalia credita, quod per semetipsa moverentur*, similiter v. 16: *igitur, nisi animalia, non mobilia per se*, p. 356. 3: *sint ergo et anima‹lia›, quia mobilia per se*, liber denique adv. Hermogenem cap. 36 p. 371. 13: *Omnia denique moventur aut a semetipsis, ut animalia, aut ab aliis, ut inanimalia.* Accedit, quod totum locum Isidorus Etymol. XIII. 1. 2 ita exscripsit [1]): *Unde et animalia Varroni videntur elementa? quoniam per semetipsa, inquit, moventur.* Itaque confidenter restituo: *quoniam* ‹**per semetipsa mo**›*ventur.*

Cap. 8 p. 365. 14 sqq. plura nomina deorum gentilium misere corrupta sunt, ut nisi adhibitis eis quae in loco gemino Apol. cap. 24 sunt, restitui non possint.

---

[1]) In hoc libello ex ordine locorum, quos Isidorus e libris Tertullianeis in Etymologias transtulit, nullum affero, nisi qui lacunam codicis Agob. in libris ad Nat. explere possint; plenam collectionem alibi dabo.

ad Nat. II. 8 p. 365. 14:	Apol. 24 p. 218. 9 sqq.
Quanti sunt qui norint uisu uel auditu	*Unicuique (etiam) prouinciae et ciuitati suus deus est,*
Atargatim Syrorum,	*ut Syriae Astartes,*
Caelestem Afrorum,	*ut Arabiae Dusares,*
Uarsutinam Maurorum,	*ut Norici Belenus,* (ita codices omnes)
obodanedus.rem Arabum, (scrib. *Obodan et Dusarem Arabum*)	*ut Africae Caelestis,*
Belenum Noricum,	*ut Mauritaniae reguli sui. Romanas, ut opinor, prouincias edidi, nec tamen Romanos deos earum, quia Romae non magis coluntur quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur:*
uel quos Uarro ponit:	
Casiniensium dei.etim, (scrib. *Deluentinum*),	*Casiniensium Deluentinus,*
Narnensium Uisidianum,	*Narniensium Uisidianus,*
athemensium Numiternum, (scrib. *Atinensium*)	
aesculanorum . .chariam, (exple: *Anchariam*),	*Aesculanorum Ancharia,*
etquam praeuerint,	
Uulsiniensium Nortiam,	*Uolsiniensium Nortia,*
etc.	etc.

Utroque loco in enumerandis qui ab unius provinciae hominibus culti sint deis, nec vicinitatis nec terrarum magnitudinis ratio habetur, servatur ordo tantum verborum; atque in Apologetico quidem dativum provinciae sequitur nominativus dei vel deae, in libro altero ad Nationes accusativum dei vel deae genetivus populi. Unde efficitur, in hoc libro *Noricum* esse *Noricorum*[1]), nisi hoc ipsum praestat, in illo scribendum

[1]) cf. adv. Jud. 1 p. 701. 9: *Israelitum*; ad. Nat. I. 12 p. 334. 2: *‹tro›paeum*; de pall. 5 p. 952. 5: *numum*; de an. 55 p. 642. 11, 56 p. 645. 8, 57 p. 646. 4: *inferum*.

Norico. — Deorum et dearum maxima pars satis nota est, ut perpauca adnotatis Oehleri addenda relinquantur: Deorum Maurorum, praeterquam quod Cypr. de idol. van. 1 et Lact. divin. inst. I. 15 Mauros reges ad deos evexisse referunt et inveniuntur dii Mauri in C. I. L. III. 2637. 9159. 2638. 2640, dii Maurici 9327, dii Mauri Augusti 2639, Mauri barbari 2641, rarissima fit in litteris Romanis mentio; traduntur nomina nullo loco nisi apud Min. Fel. 21 *(et Juba Mauris volentibus deus est)* et Arnob. adv. Nat. I. 36 *Tisianes et Bucures* (ita cod. Parisin., *Titanes et Bocchores* Salmasius; nomen alterum firmari videtur nomine regis Mauritaniae et imperatoris eius Bocchar: Livius XXIX. 30 et 32); de dea in libro altero ad Nationes altum est silentium. Tuetur nomen, uti legitur in Agobardino, Movers Phoen. I. 628 ita, ut conferri possit אורשתנת i. e. *Κούρη Ἀθήνη* deaque ipsa sit Astarte Phoenicum.

Sed transeamus ad deos municipales Italiae. Horum enumeratio in utroque libro eundem tenet ordinem, ut sequatur dei vel deae nomen genetivus municipum. Tres dei, qui agmen ducunt in libro altero ad Nationes, sunt italici: Numiternus est cognomen Martis Atinensis (C. I. L. X. 5046, ut recte restituerit Oehlerus *Atinensium*); Visidianum vel Viridianum (ita pars altera codicum Apologetici) nomen habere a verbo virendi et Quirinum esse Preller. Myth. I. 372 suspicatur; Casiniensium Deluentinus Apollo est, cuius templum erat in arce Casinati[1]). Quae quarto et sexto loco leguntur deae, sunt Tuscorum: notum est nomen et numen Nortiae, Fortunae Tuscorum (Müller Etr. II. p. 52/53); nomen Anchariae (l. l. II. p. 62) in uno titulo Faesulis invento est, quae quae fuerit non liquet. Itaque cum Reinesio (Synt. Inscr.

---

[1]) Si quid video recteque suspicor, Deluentini nomen, a vi naturaque dei Casiniensium sumptum et coniungendum cum verbo deluendi, Apollinis est, qui expiet, qualis potissimum Romanis videbatur (Preller Myth. I. 302). Firmatur haec sententia situ municipii, quippe quod Cumis proximum sit, qua ex urbe cum libris Sibyllinis hic Apollinis cultus Latio illatus est (l. l. p. 147).

II. 23 p. 257) in utroque libro nunc quidem acquiescendum erit in *Faesulanorum* nomine. Miserrimam labem traxerunt verba *etquam praeuerint.* Gothofredi quidem sententia est »procul dubio restituendum esse *et Quampraeverim*«, id quod —taceo de nomine monstruoso—vetat coniunctio *et* media in constructione, quae exhibet sex membra dissoluta; idemque dicendum est de Rigaltii *et quam Praeverim* et Oehleri *et quam perceperint.* Sed aliae quoque haut minoris momenti causae huius viri »emendationem« dissuadent: unde enim modus coniunctivi? Postquam Tertullianus ab indicativo in re satis aperta *quanti sunt etc.* initium fecit, pergendum erat *et qui perceperunt.* Aut ut continuaretur illud quod sequitur *qui norint,* scribendum erat *et qui perceperint* aut *et perceperint.* Complures denique Nortias in illo Etruriae municipio cultas esse? Vides nulla earum quae adhuc propositae sunt coniecturarum quicquam profici; id unum ex ordine verborum certum est, latere sub verbo *etquam* genetivum nescio quorum municipum, ut videtur tuscorum, et sub verbo *praeverint* accusativum dei vel deae; quamquam quae fuerint verba pristina ex C. I. L. eruere adhuc non licuit.

Quousque progressa sit libertas adoptandorum deorum demonstraturus II. 8 p. 366. 7 recenset superstitiones Aegyptiorum, *qui etiam bestias privatas colunt . . . . corcodrillos* (ita man. pr. e *concodrillos*) *et anguem suum.* In lacuna septem litterarum Gothofredus secundo et tertio loco, Rigaltius primo et secundo litteras *sp* se legisse testantur, quae Hildebrandum et me plane fugerunt. Oculorum aciei confisus Gothofredus scripsit *et aspidem,* quod ne temptaret *anguis* vocabulum quod sequitur deterrere debebat; Oehlerus, cum in editione minore *spiritu* restituere maluisset, Hildebrandi coniecturam *feles* amplexus lacunam non explevisse dicendus est. Equidem non dubito ad Gothofredi et Rigaltii de codice testimonia recurrere eoque fundamento uti; itaque conicio: **sphingia.** (Plin. nat hist. VI. 184, VI. 29, X. 72 Detl.) Sphingia id genus simiarum sunt, quod Graeci *κυνοσκέφαλον* vocant, quod animal quanta olim veneratione apud Aegyptios fuerit, inde conicitur, quod, cum in Aegypto

non gigneretur, ex alienis terris apportatum est. (cf. tabellam libelli a Dümichen editi ›Flotte einer ägyptischen Königin aus dem XIV. Jahrhundert vor unserer Zeitrechnung‹, in qua lapidarius inter animalia classe Aegyptiaca e terra Amum advecta lineamentis sphingia diligentissime distinxit.) Colebatur praecipue in urbe Hermopolitanorum (Strabo p. 812), deinde aliis locis (Horapoll. Hierogl. I. 12 ed. Leemanns), neque desunt cadavera in sepulcris composita (Parthey ad Plut. libr. de Is. et Osir. p. 261); vel in ipsas litteras Aegyptiacas recepta est imago sphingii calamum et atramentum tenentis. De forma *corcodrillos* audiendus est Ritschelius opusc. I. 536 sqq. Est tamen forma recentior *crocodilum* in codicibus librorum adv. Marc. II. 14. p. 102. 5, quae forma librario cuidam male emendanti deberi videtur.

Cap. 8 p. 366 sqq. Tertullianus fata Josephi narrat, quem a fratribus in Aegyptum venumdatum servum fuisse regium, a domina, cuius libidini satisfacere recusasset, delatum et in carcerem datum ibique somnia recte interpretatum esse refert. Sequuntur in codice haec: *Interea rex quoque somnia* (*somniat* Oehlerus) *terribilia quaedam. Illi detractis quos convocaverat valuit exponere Joseph, expedimenta de carcere edocuit, somnium regi aperit.* Quae cum corrupta esse Oehlerus sentiret, *detractus quod convocatus erat* legi iubet; at unus iste Joseph convocari non potuit. Praesto sunt verba Genes. 40. 7: *evigilans Pharao post quietem et facto mane pavore perterritus misit ad omnes coniectores Aegypti cunctosque sapientes et arcessitis narravit somnium nec erat qui interpretaretur.* Habes homines, quos *con*vocavisse dicitur Pharao; iam cum frustra consulti essent, sine dubio dimissi et recusati sive detractati sunt; unde enim detractos dixeris? Itaque Tertulliano suum reddetur, si emendaveris: *detractatis quos convocaverat.* De forma et vi vocabuli cf. quae Oehl. adnotavit ad libr. ad Nat. II. 7 et Tert. de spect. 3 p. 21. 18 et de ieiun. adv. psych. 15 p. 875. 18.

Cap. 12 p. 378. 12 de innumeris ethnicorum deis disputans *quanto*, ait, *diffusa res est, tanto substringenda nobis erit et ideo qui in ista specie unum tuemur propositum*

demonstrandi, illos omnes homines fuisse (non quidem ut cognoscatis, nam quasi oblita agitis) conpendio ab ipsa dispiciendi rationem summam originem generis illorum retractando. In his codicis verbis duae res offendunt: atque primum quid id est, quod quid nolit aperit, quid velit reticet? adversarios se oblitos simulant; id igitur agendum erat, ut meminissent. Desiderari aliquid res ipsa docet, quod suppeditat locus geminus Apologetici cap. 10 p. 154. 18: *otiosum est etiam titulos persequi, ut colligam in conpendium et hoc non quo cognoscatis, sed recognoscatis· Certe enim oblitos agitis.* In extrema deinde sententiae parte ipsum verbum principale desideratur. Tertullianus se ipsam dispiciendae rei rationem secuturum negat, solam originem deorum tractaturum esse profitetur, ut hoc quoque loco aliquid librarii incuria excidisse statuendum sit totumque locum sic corrigendum putem: *et ideo qui in ista specie unum tuemur propositum demonstrandi illos omnes homines fuisse, (non quidem ut* **cognoscatis**, **<sed ut recognoscatis>**, *nam quasi obliti agitis), conpendio ab ipsa dispiciendi ratione* **recedamus**, *summam, originem generis illorum retractando.* Summam rei autem cur originem dicat, sequentia interpretantur: *origo enim totius posteritatis.* Cf. de an. 22 p. 590. 30: *iam ab isto dispositionis retractatu recedam* et de or. 21. p. 574. 2: *aut et virgines nominare specialiter aut compendio* (i. e. per compendium) *generaliter feminas.*

Cap. 13. p. 386. 3 sqq. lacunam quae est inter verba *de quo poetica sic lusitavit* et *cycnum qui cantaverat,* quam nec Gothofredus nec Rigaltius attigerunt, Oehlerus meo quidem iudicio bene restituisse non dicendus est. Librarii quidem incuria nonnulla excidisse Apol. locus gemellus cap. 21 p. 197/8 et Isid. Etym. VIII. 11. 35 docent: Illo enim loco Tertullianus non ita genitum Christum praedicat, ut erubescat de patre, *non* enim *de sororis incesto nec de stupro filiae aut coniugis alienae deum patrem passus est squamatum aut cornutum aut plumatum, amatorem in auro conversum Danaidis.* Percurrit amores Jovis, qui constupravit Proserpinam sub specie monstri squamati, seduxit Pasiphaen et Europam bos factus, concubuit

cum Leda cycnus et Ganymedem rapuit aquila, zonam solvit Danaes in imbrem aureum conversus. Respondent fere verba libri alterius ad Nat.: habes enim p. 386 v. 6 deum cornutum et imbrem aureum, v. 8 deum plumatum (‹aquila›*m qui rapuit, cycnum qui cantaverat*), desideras squamatum. Sed inter ultima haec verba a Tertulliano hanc quoque Jovis amatoris speciem additam fuisse argumento est Isidorus, qui l. l. exscripsit: *quem* (i. e. *Jovem*) *modo* (fingunt) *in similitudinem aquilae fuisse, propter quod puerum ad stuprum rapuerit, modo serpentem, quia reptaverit, et cycnum quia cantaverit.* Quamobrem non dubito, quae is qui codicem scripsit ad similia a similibus aberrans praeteriit, ita restituere: *aquilam qui* **rapuit, ‹serpentem, qui reptavit›**.

Cap. 17 p. 395. 16: . . . . *religiosi* quamquam ex Apol. 25 p. 224. 5: ‹*ergo non ante*› *religiosi* bene expleverunt, rem tamen non perfecerunt. Quid enim sibi vult quod sequitur: *quam maiores quia religiosi?* In Apol. l. l. est: *ergo non ante religiosi Romani quam magni, ideoque non ob hoc magni quia religiosi,* unde hoc loco emendandum esse apparet: *ergo non ante religiosi quam* **maiores, ‹ideoque non ob hoc maiores›** *quia religiosi.*

Cap. 19 p. 396. 10 ex Isidori Etymol. IX. 3. 2 nonnulla aut firmari aut restitui poterunt: *regnum universae nationes* ‹*suis quaeque tem*›*poribus* — ita recte Oehlerus — *habuerunt, ut Assyrii, ut Medi, ut Persae,* (**ut Graeci**) *ut Aegyp*‹*tii*› etc. Concordat Min. Fel. cap. 25: *diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persae,* **Graeci** *etiam et Aegyptii.*

p. 396. 15 ex eodem Isidori loco exple: *Sors ita volutavit* ‹**vices**›. Oehlerus tentaverat ‹regna›.

